

~~C. 1442~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-62

SIGNAT. ~~c1010~~CCCXIII.

B. C. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
De

DELIRIIS
FEBRIUM CONTINUARUM,

*Auctoritate Gratosiss. Ordinis Asclepiadei,
In Electorali Academia Vitembergensi*

PRÆSIDE

VIRO Excellentissimo atque Experientissimo

**DN. PAULO GOTTFREDO
SPERLINGIO,**
Medicinæ Doctore & Prof. Publ.

Dn. Patrono, ac Promotore suo maxime colendo,

PRO LICENTIA

Assumendi DOCTORIS Gradum
publico examini exposita

D. XVI, Januarii, An. M DCXCVI.

a

HENRICO SIGISM. WEITZIO,

Goth. Thur.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typ.

Inclytæ
URBIS GOTHANÆ
Magnis
CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS,
Patriæ Proceribus Meritissimis,
VIRIS

Nobilitate, Prudentia, Experientia &
Auctoritate
Gravissimis & Florentissimis,

*DNN. Patronis suis exoptatissimis, Parenti
Optimo & honoratissimo, cæterisque Fautoribus
summè colendis & suspiciendis,*

Hanc Catastrophæ studiorum, cum Voto fortunati Novi
Anni felicissimique Regiminis, in grati animi solum, filialis ob-
servantiæ signum, ulteriorisque benevolentia
tesseram

obsequiosa mente ac manu

dicat & consecrat

Henricus Sigismundus Weitz:



I. N. J.

PROOEMIUM.



Unquam magis humanita-
tem exiit homo, vel ad
bruta animantia accedit
propius; imo infra horum
sortem positus videtur,
quam ubi nobilissima ratio-
nis usurâ, legitimâqve men-
tis operatione destituitur.

Usque enim adeò, qui cum his conflantur mor-
bis, à semet ipsis, & omni eo, quod humanum di-
citur, deflectunt, ut horum aliqui, mutuis laniens,
se dentibus dilacerarint; alii laqueo vitam finierint;
alii è domuum contignationibus se dederint præci-
pites. Multi ferro in propria sæviunt viscera, &
nulla vitæ expavescunt pericula, agnatisque atque
liberis violentas manus injiciunt, nullius parcentes
miseriæ; ut merito habeat pia mens, cur istam ho-
minum doleat vicem, cum omnes bonos ea contri-
stet miseria. Hos inter infelicissimos omnium illos
dixerim, qui sortiuntur Medicos, cum ægris de-
stultitiâ certantes, omni morbi notitiâ destitutos;
ubi cui suppetias feras & qui potiori egeat auxilio,
incertus hæreas.

A 2

Nos

Nos tristem hanc miserati sortem, virium nostrarum immemores, his ægris medicari laborabimus. Quia verò ne Hercules quidem huic malorum lernæ purgandæ sufficit, unicum saltim selegimus **CONTINUARUM FEBRIUM DELIRIUM**; in quo, si rem acu non tetigerimus, veniam forsan, in re arduâ, & maxime obscurâ, ingeniosissimis etiam non nisi per nebulam patente, merebimur. In cerebri enim, tanquam obsignati claustrum, structuram, ac munia, recessusque intimos ac penetralia nobis hic inquirendum est, cujus operationes semper arduæ ac intricatæ habitæ fuerunt. Imo spirituum animalium natura, & influendi modus, nobis est peruestigandus, quorum tamen textura innumeris difficultatibus scatet, multisque ignorantia tenebris circumfunditur. Omnes enim humanos sensus corpora hæc subtilissima eludunt, nullaque sui relinquunt vestigia, ut vel per loca paludosa, & velut avia nobis eundum, vel aliorum vestigiis insistendum sit, quæ per meras suspiciones & multos difficultatum anfractus labuntur. Accedit, quod malum admodum rebelle sit, furcaque ac fuste expulsus, recurrat usque, & sæpe terribilem mortis acceleret necessitudinem.

Deus verò immortalis in hoc mentis lapsu nostram mentem dirigat, atque gubernet, ut omnia in sanctissimi nominis sui cedant gloriam, ægrorumque sanitatem. **CAP.**

De Definitione & Subjecto.

Dolitis itaque verborum ambagibus, scholasticâque vocabulorum enodatione omissâ, tanquam satis cognita, dicta describimus DELIRIA, quod sint symptoma continuarum Februm gravissimum, cujus essentia in depravatione sensuum, modo plurium, modo omnium, inprimis interiorum consistit, à spirituum animalium motu præternaturali, modo nimio ac tumultuoso, modo nimis parco ac inordinato excitatum, ubi ægri sibi maximè fiunt dissimiles, absurda sæpè loquuntur, & gestibus inconcinnis ac quandoque ridiculis gaudent, mentisque usurâ modo magis, modo minus destituuntur. Esse verò depravatos sensus in deliriis his, ipsi testantur ægri, qui sæpe multa incongrua sibi fingunt, aliterque respondent, ac adstantes rogant; cui accedit, quod amicos sæpe & agnatos non cognoscant, præteritorum non, vel perperam recordentur, fluidorumque æque ac solidorum vel nullo, vel nimio tangantur desiderio. In eo igitur non facimus cum *Clarissimo Craanen*, quando *Traçtatu Physico Med. de Homine pag. 441.* in omni delirio sensus liberos ac in corruptos esse putat, sic ut in perceptione sive intellectione, vel ideis error esse non possit, quatenus delirantes imagines optimè percipere, & in eo falli non posse sibi persvadet, ideasque semper sibi fingit similes, semper objecta & nihil amplius representantes. Licet enim de externis sensibus hoc ipsum quandoque in Morosi & Melancholiâ leviori concedamus, ubi spiritus minus à statu & motu naturali recedunt; in continuarum tamen Februm deliriis illos quoque à labe non immunes esse suspicamur, quia blanda spirituum ani-

malium per nervos undulatio, usque ad cerebri medullium continuanda, sensibus, in naturali statu peragendis, idonea, mirum quantum est turbata, quod in sequentibus probabimus. Minorem verò assensum, jam laudatus Auctor in eo meretur, quando errores istos in ipsius animæ iudicio collocat, ipsamque de iis, quæ rectè percipiuntur, non rectè iudicare, & per imprudentiam & quandam precipitantiam ac festinationem assentire suspicatur. Tantos enim errores in animam rationalem cadere posse, ut salvis organis, eadem imprudenter agat, & quasi obbrutescat, non dixerim; cum tales actus rationalis animæ essentiam evertere, nobilissimamque ejus operationem eam exuere videantur. Quando igitur delirantes res aliter percipiunt, ac quidem exhibentur, nos errorem non in animâ, sibi semper simili, sed corpore quærendum esse censemus; cum illa, ex lege fœderis, aliter iudicare non possit, ac motiones spirituum per organa & in ipso cerebro, eam reddunt certiores. Adeo enim hæc Divinæ auræ particula corporeis immersa jacet vinculis, ut saltem corpore organico rectè constituto sentiat atque intelligat; & licet in statu naturali spiritus animales ipsius iussa ad nutum exequantur, eaque per hos functiones suas promptè peragat; errores tamen eorundem corrigere, ac tumultuantes sedare, motosque fluctus componere, in ipsius potestate non sit positum; cum alias de sanitate, potissimum in morbis spirituum, vel somno in vigiliis, non toties frustra cogitando esset sollicita. Imo ne in naturali quidem statu omnes spiritus ipsius subjacent imperio, cum involuntarii motus, qui à mechanicâ partium structurâ magis pendent, & magis automatici sunt, in primis cordis, ejus ingratis, eademque nesciente, per omnem vitam peragantur. Interdum tamen notamus, mentem motus spirituum incongruè

gruè oblatos advertere, eamque pro iisdem emendandis esse sollicitam, & quasi contra niti percipimus. Notavit enim *Excellentiss. Dn. D. Praeses* Theologum quendam primum pleuritide cum purpurâ obeuntem, delirii sui alicquam habuisse notitiam, & ideo se praesente à sermone magnam partem abstinuisse, rectaque ratione fuisse usum, sic ut nulla loqueretur absurda; cum contra eodem discedente iterum indulgeret deliriis, quod plus vice simplici ipsi observare licuit. Dum vero sensus in dictis Deliriis, non ipsam accusamus animam, & vel plures, vel omnes & internos potissimum depravatos esse judicamus, non aequè eorum insistimus sententiæ, qui distinctionem sensuum inter internos & externos, numerumque horum quinarium, vel illorum ternarium defendunt mordicus. Facimus potius cum illis, qui omnes sensus internos appellari posse autumant, quatenus perceptio non in organis externis contingit, sed ibi saltim inchoatur, & ab animâ, in cerebri recessibus ac meditullio, peragitur. Una etiam anima operationibus istis omnibus, quas vulgo in tot sensus distinguunt, praest, & de uno objecto, rebus puta corporeis, tribus dimensionibus donatis, est sollicita. Accedit quod de finibus adhuc ambigant, & in constituendis limitibus autoribus, qui distinctos sensus esse volunt, inter se non conveniat. Sensus enim communis, quatenus externorum est complementum, & quasi communis alveus, in quem motus, in externis sensoriis ab objectis inchoati, ac per nervos propagati, ad commune nervorum principium confluunt, ad externos sensus pertinere, vel quasi mediator inter internos & externos existere videtur; cum tamen communiter ad internos referatur. Quia nihilo minus sensuum externorum, communiter ita dictorum, organa extra cerebrum, in superficie fere corporum, velut speculâ,
sunt

sunt collocata, ut forsan objectorum activitati pateant; & contra interni cerebri terminos non egrediuntur; ideo doctrinæ gratiâ, cum aliis, externos æque, ac internos sensus concedimus. Externos tamen etiam omnes diversas saltim tactus species esse, exinde patet, quatenus ita peraguntur, ut spiritus in organis excubantes, ab objectis commoti, undulationem istam ad cerebri medullam continuant, mediante quâ exagitatione, anima de iis, quæ extrinsecus aguntur, fit certior, corporeorumque; objectorum ideæ eidem exquisitè offeruntur. Illustrant hanc cognationem sensuum, & de eorum non omninò distinctis limitibus testantur, munia eorum quandoque confusa & quoad antenus perverfa; ubi unius sensus objecta, ab alterius sensus organo percipiuntur, sic ut Teste *Scholtzio in Epistol. Med. Epist. 75. & 76.* quidam naribus pro tubo optico fuerit usus; cum contra annotantibus aliis, alii colores tactu, alii sermones visu & commotione labiorum perceperint.

Quando igitur internos sensus potissimum in continuarum deliriis accusamus, non tam motum quendam præter naturalem spirituum ab objecto quodam in sensibus externis excitatum, & ad cerebrum usque continuatum fingimus, quam eundem in cerebri medulla, à principio quodam intrinseco oriundum, & ad omnes corporis partes propagatum nobis concipimus. Sedem itaque primariam dictorum Deliriorum facimus medullarem cerebri substantiam, quæ tamen, quia in distributione spirituum magis occupatur, & fibræ ex quibus coagmentatur, canaliculi tantum sunt, transmittendis & ad partes promovendis spiritibus consecrati, ideo forsan non tota hujus interior substantia, sed centrum saltim illud, ad quod fibræ plures inclinant, muneri huic erit præficiendum. Probabile inde videtur, illam cerebri potissimum eadem occupare partem,

tem, quæ animæ nostræ sedes, ac quasi solium spirituum-
que promptuarium esse creditur; quod an centro ovali,
(& imprimis supernæ ejusdem regioni, ex quâ *Vieussens*
pag. 234. voluntatis actus depromit) præ aliis competat,
cum glandulam pinealem omnes cordatiores rejiciant, &
Clarissimus Nuckius in adenographia pag. 152. ipsius causâ
velut ierit exequias, eamque sede suâ deturbaverit, non
æque nimis audacter determinabimus.

CAP. II.

De Causis.

CAusam Deliriorum, quæ in febribus continuis occur-
runt, immediatam, motum præternaturalem spirituum
animalium, modo nimium, ac tumultuosum, modo nimis
parcum ac inordinatum, constituimus. In statu enim na-
turali, rationis nostræ usum, à legitimo spirituum animalium
in organis motu & undulatione blandâ, certisque quasi
numeris, velut in tripudio, naturæ eorum subtili aeræ ac
salino sulphuræ serosæque roridæ conveniente, depende-
re ponimus; licet etiam ab objectis, vel ipsâ animâ cogi-
tante non nihil concitati, velociori paulo impetu quando-
que ferantur. Hinc probabile videtur, emotâ mente, &
salvis nihilominus existentibus organis, vitium in spiritibus
esse quærendum, eosdemque ab undulatione ista leni ac
miti recessisse. Hoc vero non eodem semper in omnibus
contingere modo, probabile est: quia actiones ægri hi ma-
ximè edunt contrarias, quæ nec tumultuantibus spiritibus
semper, animi habenas excutientibus, nec ad quietem pro-
nis & quasi fixatis ac deficientibus per omnia competere
posse videntur. Nimium itaque spirituum animalium
motum probant, vigilæ pertinaces, calor magnus, pulsus

B

ma-

magnus, circulatioque sanguinis aucta atque citatior, quæ quatenus per crebriores appulsus, & cum majori nisu, ad corticalem cerebri substantiam pertingit, eatenus etiam spiritus animales, in istis confiniis stabulantes, inquietos reddit & in motum præternaturalem cogit. Testatur de hoc sanguinis & spirituum motu aucto, ipse sanguis è naribus, cum maximo sæpe impetu, & quandoque fumo, erumpens, quod nuper in studioso, ex ebrietate in deliria incurrente, *Excell. Dn. D. Pras.* observare licuit; ut & Væ Sione emissus, qui sæpe cum maximo conatu ac saltu profilit, & diffusa etiam loca saliendo petit, ægreq; iterum coercetur, ac sistitur & inter mala signa interdum est referendum. Idem probat maximum virium robur, ubi nec pluribus impares notantur ægri, & ad ipsorum maniacorum naturam accedunt propius. Corripiunt etiam fortia deliria potissimum Juvenes, robustos, ac generosiori potu utentes, quæ toto die occurrunt, & in ebriis quoque à nimio spirituosorum, imprimis vini generosi vel sibi relictis, vel ambrati, it. confectione anacardina animati, ut & spiritu vini pro lubitu excitantur. Militant porro pro nimio spirituum motu iuvantia, quæ sunt aquæ potus, & acidorum usus (quæ tamen, ratione causæ, interdum etiam in defectu spirituum locum habent) ut & Væ Sect., quæ si non semper malum tollit, saltem sæpe mitigat; non secus ac ipsam quandoque ebrietatem in momento discutit, teste *Borrichio in Act. H. B. v. 5. pag. 170.* quod facit, quatenus sanguinis impetuosum motum, ad cerebrum nimis frequenter appellentem refrænât, cum ligaturæ quoque in brutis idem efficiant, annotante *Excellentissimo Bohnio pag. 315. circulo anatomico,* sanguinisque affluxum ad cerebrum intercipientes spirituum vigorem sufflaminent. Non minus quæ nocent, ulterius in causæ intimiorem cognitionem nos deducunt, quatenus
spiri-

spirituosa ægris his exhibita ut plurimum valde nocent deliriaque exacerbant. Siccivis quidam filia suæ, continuâ laboranti, exhibebat spiritum vini cum granis aliquot piperis, eo successu infelici, ut filia antea mitius degens, eo ipso die furore correpta, à pluribus in lecto detineri non potuerit, nudaque in publicum prodierit, quæ tamen, per Dei gratiam, aqvosis, acidis, & bezoardicis fixis restituebatur. Similiter Studiosus Trans. *B. D. Tartler*, continua correptus, notante *Excell. Dn. D. Pras.* svasu amicorum, generosiori vino, loco remedii, ad confortandum stomachum utebatur, altero die delirio corripiebatur fortissimo; septimo vitam cum morte commutabat. Nunquam hic, per totum ferè morbi decursum, in lecto se detinebat, nisi Medico accedente, & tunc saltim indutus vestimentis & clavâ Herculea munitus, quâ conterraneos accedentes eiciebat. Medico verò objurganti, vel periculum exponenti, ne verbum respondebat, & post ejusdem discessum statim iterum è lecto prosiliebat. Hinc exempla ista, ubi vinum generosum & spiritus vini, vel innoxie, vel cum fructu exhibita fuere, qualia apud *Solenandrum in consiliis Medicis s. 5. cons. 15. observ. 13. it. in Ephem. Germ. d. 2. a. 2. pag. 87.* & passim alibi prostant, vel in consuetis, vel frigidioribus, sequiori sexu, senibus, magno virium lapsu, & majori spirituum defectu forsan saltim locum habent.

Hæc sicuti, conjunctim sumpta, nobis persvadent, in deliriis dictis quandoque, in primis in principio, nimium peccare motum spirituum, sibi invicem tumultuose concurrentium, & velut bacchantium choreas agentium; ita quia sola ad omnium symptomatum explicationem non semper sufficiunt, prohibere non possunt, quin quandoque etiam nimis parcum spirituum motum, eorumque defectum, hic peccare statuamus. Quando igitur in ægris summus vi-

rium notatur lapsus, sic ut vel surgere è lecto, aut erigere se, primis statim diebus, pedemque aut manum levare non possint, cum tremore artuum, pulsu debili, calore miti, ad naturalem propius accedente, quod potissimum in malignis occurrit; it. quando sopores adsunt, tunc spirituum impetum refractum potius atque obtusum, eosque magis defectu peccare & motu nimis parco gaudere, suspicamur. Videmus enim eodem modo, post morbos diuturnos, ob spirituum inopiam, sensus omnes hebetiores fieri, & evacuationes quascunq: nimias efficere, ut de virium lapsu conquerantur ægri; imo in gravioribus vulneribus, quatenus nimia sanguinis & fluidi in nervis undulantis quantitas eliminatur, it. in longis vigiliis, inediâ ac moribundis quandoque ipsâ occurrunt deliria. Similem non raro edunt effectum opiata largius exhibita, ut & solanum furiosum, mandragora & pastinaca sylvestris, & hyosciamus, etiam internè assumptus, mentem turbat quod in puero 9. annorū *Excell. Dn. D. Pres.* observare licuit, qui assumpta herba delirabat, ollasque frangendo multa mala matri imprecabatur, solo tamen emetico restitutus. Eundem edit effectum herba dutroa, quæ sine dubio est species hyoscyami, de qua *Valvasor in gloria Ducatus Carinthia* refert, mulieres eadem usque adeo omni sensu maritos, ad tempus, orbare, ut iisdem præsentibus ac videntibus, cum aliis concumbant, cum tamen mariti nec videant, nec actorum recordentur. Hinc maslach, quo hodie quidam utuntur & ad tempus, per jocum homines reddunt desipientes, vel dutroæ est species, vel est Turcarum maslach, ex opio conflatum, in largiori dosi exhibitum. Ex his facile elucescit, cur levia deliria in malignis cum aliis signis malis, sæpe periculosiora sint, ac quidem fortiora; cum à spirituum inopia dependeant, atque de eorum defectu, motuque im-

minuto

minuto nos certiores faciant. Sic refert *Excell. Dn. D. Praeses*, Virum quendam primarium petechiali laborantem, cui mens per omnia fere constabat, saltem semel atque iterum in fundamentis latinitatis impegisse, & praeter morem, durante morbo, saepius latina lingua usum fuisse; ex quo, cum urina esset cruda, & sanorum fere similis, sitis fere nulla, cum appetitu aliquo & calore mediocri, primis decubitus diebus, tristem eventum praevidens, prognostico se munit, cum demum post 17. diem aeger moreretur. Hinc etiam in fortioribus deliriis, morbo ad mortem vergente aegri ut plurimum sensim mitescunt, vel saltem tractabiliores fiunt, dissipatis maximam partem spiritibus, per motum istum nimium, volatilibus partibus sanguinis exhalantibus, cruoreque reliquo grumescente.

Quomodo vero varia haec spirituum agitatio & excessus in motu, vel defectus tam horrendos, in machina nostra, edere possint effectus, ipsamque animam rationalem quasi de sede sua deicere, explicatu est difficillimum. Credibile quidem est, spiritus animales, propter summam suam subtilitatem, esse quasi corporum limites, in confinio positos, qui in statu naturali, ad animae immaterialis familiaritatem accedunt propius, & intimius quasi admittuntur; nihilominus quia materiae fines non transcendunt, & intra eius limites adhuc subsistunt, ideo in hac mentis caligine non aequè liquet, quomodo corpora haec in animam agant immaterialem, & quomodo anima, ex motuum horum corporeorum diversitate ac gradu, ideas rerum percipiat. Ea tamen forsitan lege Summus Rerum Conditor mentem corpori unitam esse voluit, ut haec certo quodam, sed nobis nulla ratione pervestigabili modo, ex lege foederis, sentiat atque cogitet, quotiescunque spiritus animales per sensuum organa & in cerebri medulla, totoque genere ner-

voso blande ac legitimo mitiqve modo commoventur, quia videmus corpus & ejus partes certos sustinere motus, quotiescunqve anima sentit atqve cogitat. Hinc in morbo nostro statu, spiritus intimius ad animæ solium penetrantes, quasi vectes & catapulta evadere videntur, ut ita loqui liceat, quæ animam in se ipsam cogunt, & tantum non eliminant; vel eorum quasi serie abrupta, in defectu ac motu imminuto, ad intimiora non pertingunt, notionesqve ideò non cohærentes suggerunt. Sensus itaqve externos toties vitiari nobis concipimus, quotiescunqve blanda ista spirituum in organis undulatio, ab objectis excitata non legitime ad cerebri medullium penetrat, & vel in excessu peccat, vel ob alios fortiores ibidem motus extinguitur, & non sufficienter penetrat, sic ut spiritus quasi in confusionem acti, intra globosam cerebri compagem tumultuose ferantur; vel ut spectra in cœmeterio, pluribus quiescentibus vel abactis, in morem erronum, irregulariter obambulant. Si vero vitiatus iste & irregularis spirituum motus in cerebri medullio ulterius continuat, phantasia species ex sensu communi & memoriâ plures simul oblatas confundit vel non perfecte offert; & si antea consuetum motuum typum, olim ab objectis excitatum, spiritus non legitime repetunt, & in priora vestigia non impellunt, memoria turbatur. Videmus enim illos, qui diuturna corporis circumgyratione, spiritus in motum præternaturalem cogunt, species rerum eodem percipere modo, ac circumagantur, & modo in altum eleventur, modo in imum deprimantur, licet sint firmissime & loco nunquam moveantur. Hinc in puero isto stupido, cujus *Borrichius in Act. H. V. S. p. 162. meminit*, qui ante mortem demum doctus & disertus evasit, forsan spiritus animales crassiores ac minus mobiles, ad istum demum subtilitatis gradum per febrim

febrim accedere, quem, qui ingenio pollent, in statu naturali possident. Hoc etiam in illos quadrat, quorum ingenii vim ac præstantiam, per morbum ultra ætatis sortem e-
vectam, celeberrimus *Pechlinus* notat *observ. 2. lib. 3. p. 395.*
& *observ. 4. p. 398.* quod clarissimus autor ab anima se jam-
jam efferente secessumque minitante, atque à corporis ob-
sequio ac legibus se exsolvente, magisque sui juris existente,
deducit. An vero in istà sensuum depravatione, præter
motum istum spirituum immutatum, in ipsâ etiam cerebri
aliquâ parte fibrarum quædam contingat immutatio, quam
in memoriæ potissimum lapsu multi sibi concipiunt; sic ut
vestigia, quæ ita ac reditu suo spiritus in molliori cerebri
fundo posuere, oblitterentur, & stigmata impressa pereant,
nos non determinabimus.

Videtur quidem hæc spirituum pr. nat. commotio mul-
tis modis impar, & proportionis experta ad effectus tantos,
variasque animi & corporis mutationes inducendas. Ve-
rum enim verò natura in aliis quoque minimis sæpe maxi-
mè est operosa, & aliæ quoque in macrocosmo vix sensibi-
les commotiones corporum fluidorum, imprimis aeris,
mirandos sæpe edunt effectus. Quis crederet lenem scu-
ticæ excussæ, vel tympani sonum, aut humanam vocem
certis in locis, posse tempestates ciere, fulguraque ac toni-
trua excitare cum maximis fragoribus! imo unum oris fla-
tum, vel maximam in sylvis quercum posse eradicare? nisi
omnia hæc autores fide digni, & imprimis ultimum *Wil-
kiius in Mechanical Powers, p. 98.* testaretur. Hinc nos
quoque in ista mentis nostræ caligine, quæ animæ nostræ es-
sentia æque, ac vinculi ejusdem natura nobis saltim per ne-
bulam innotescit, in deliriorum dictorum naturâ inqvi-
rendâ, ulterius non progredimur, & in motu isto spirituum
pr. n. tantisper acquiescimus,

Causa

Causa mediata proximior, est circulatio sanguinis turbata, & vel præter modum varias ob causas aucta; vel imminuta, ob particulas ad coagulationem dispositas, exindeque oriundus calor sive Febris continua. In statu enim naturali sanguis; circulationis lege, mediante cordis pulsu, continuo per arterias carotides internas & cervicales, ad corticosam magis cerebri appellit partem, & mediante hæc arteriarum expansione ipsius cerebri elevat substantiam, quæ, remittente pulsu, & parte sanguinis ac lymphæ redeunte, subsidet, & non tantum hæc compressione spiritus versus nervos adigit; sed & tenuior pars arteriosi sanguinis, secreta & spiritibus juncta, reliquos ad exteriora propellit. In delirijs itaque dictis, pulsu cordis mirum quantum immutato, vel præter modum aucto, vel imminuto, licet quandoque frequentiori, necesse est, ut spiritus quoque animales ad istum motum vitiatum componantur. Prospexit quidem huic quoque miseriæ Summus Rerum Arbiter, pro immensâ suâ sapientiâ, quatenus per multos & eos excellentissimos meatuum mæantos, quos arteriæ in capite sustinent, impetus arteriosi sanguinis notabiliter fractus, obtunditur. Accedit quod sanguis per tot diversos & innumeros ductus, ad omnes cerebri labatur partes multiplexq; via ipsi pateat, ob quam causam etiam carotides vertebralibus forsitan inosculantur. Hoc sicuti in statu naturali efficit, ne ulla in cerebri parte sanguis deficiat, nobiliqve huic & valdè necessariæ operationi, spirituumqve generationi injiciantur moræ; ita unâ prohibet, ne torrente pleno impetuosis in unam cerebri partem sanguis cum inundationis irruat periculo. In præternaturali tamen statu & febrium continuarum imprimis delirijs, frena ista ac sepimenta efferas illas ac indomitas sanguinis particulas cohibere non possunt, quin cum impetu in cerebri ruant poros, spiritus-
que

que ibidem excubantes in consensum rapiant; non secus, ac si a motu suo naturali quandoque remittens Massa Sanguinea, citius quoque in illis meatibus subtilioribus stagnat, spirituumque motum ac generationem sufflammat. Quod verò non omnibus continuis superveniant deliria, cum tamen in omnibus adsit notabilis Mæ Seæ mutatio, spiritus animales non parum afficiens, id non tam à poris cerebri magis obseratis, quam à caloris mitiori gradu, abundantia lymphæ dulcis, sanguinis circulo non nimium turbato, & spiritibus ipsis, minus mobilibus, deducendum esse suspicamur.

Causæ remotiores sunt omnia, quæ circulationem sanguinis turbant, & vel motum ejus augent, vel imminuunt; quæ, cum paginæ angustia non capiat, & ad doctrinam de febribus potius pertineant, studiosè prætermittimus. Tribus tamen verbis meminisse sufficiat, istam sanguinis circulationem turbatam maximam partem, præter pulsus cordis immutatum, ab intestinâ particularum sanguinis agitatione dependere. Sicut enim circularis sanguinis motus, si vel acceleratur, vel inhibetur, à quacunque demum causa id fiat, intestinum quoque in consensum trahit; ita intestinus etiam circularem variat, cum, durante vitâ, horum mutuuum sit temperamentum. An vero motus iste sanguinis intestinus, in statu naturali, in fermentatione blandâ & ebullitione leni consistat, cum qua aliquam partem convenit, nostrum non est dirimere. Quia tamen disparitatem, etiam cum fermentatione non per omnia convenientem, in motu hoc sanguinis intestino annotare licet, ideo nobis lenis & blanda sufficiat commotio, ubi ob particularum sphericarum, in sanguine hærentium, ad motum aptitudinem, & heterogænearum se invicem impellentium agitationem, aliæ sursum, aliæ deorsum leniter

C

niter

niter undantes, ab aliis occurrentibus propelluntur, vel etiam ad partes solidas appellentes reflectuntur. Videmus enim in aliis corporibus fluidis, de loco in locum propulsis, partes singulas inter se quoque agitari, & vix potest concipi, diversas sanguinis particulas, quarum existentiam liquores tot differentes, ex sanguine secreti, probant, alias aliis allidendo ad se invicem non appellere. An vero aeris particulis, imprimis mediæ consistentiæ, aut salinis ac sulphureis, in hac commotione intrinsecà, agitationis competat dominium, vel an hæc saltem ob aereas inclusas, præ aliis ad motum sint dispositæ; ut &, an in statu morbofo, particula terreæ, viscidæ salinæ acidæ motum istum sufflammentes Mam Seam ad coagulationem disponant, ut liquidiore & volatiliore expressæ magis sui juris & mobiliore evadant; non æque semper liquet. Probabile tamen videtur, in febrium continuarum deliriis proportionem particularum harum agilium, ad motum magis dispositarum, in Mâ Seâ esse immutatam, & vel imminutam, ex quo crassiores torpidiores redditæ, stagnando subsident & coagulantur; vel auctam, quæ omnes reliquos humores in motum nimium cogit & exagitat. Hinc circa notabiles atmosphæræ alterationes, gravioresque mutationes, vernali & autumnali potissimum tempore, & à repentinis caloris & frigoris excessibus, frequentiores notantur febres cum deliriis, quatenus nostri sanguinis motus, his fluidi aerei vicissitudinibus, est obnoxius. Non minus à potu generosioris vini, & spiritus vini, aromaticorû, & ipsorum medicamentorum volatilium, nimio usu, & omnibus, quæ biliosas & sulphureas, salinasque volatiles, sanguinis partes augent, ferofasque, dulces, ac gelatinosas dissipant, imminuunt, & à cruore mox subsidente & in coagulum fatiscente, secerant, simile malum excitatur. Huc pertinent ætas juvenilis,

nilis, humorum biliosorum, acrium, impurorum, ipsius-
que sanguinis abundantia, miasmata ex corporibus ægris,
similibus deliriis, vel saltim continuis benignis laboranti-
bus, exhalantia, inflammationes viscerum, in primis pleu-
ræ, faucium, pulmonum, contusiones graviores partium,
potissimum capitis & vasorum compressiones ac constri-
ctiones, vulnera it. graviora & evacuationes sanguinis ni-
miæ, it. consuetæ omisæ, commotiones nimie corporis
ac animi, ira, moeror, quies, vigiliæ, transpiratio prohibi-
ta, vel nimis aucta, omniaque, quæ in continuis sub causa-
rum militant vexillis.

CAP. III.

De Differentiis.

Differunt vero inter se Deliria Februm continuarum fe-
re saltim gradu, sic ut alia sint fortiora, alia levia, alia
continua, alia interrupta. Hinc Phrenitidem & Paraphre-
nitidem, non peculiaria februm esse deliria, censemus, nec
illam æque à meningum, hanc à diaphragmatis inflamma-
tione deducendam putamus, cum *Willisus de anima brut.*
p. 257. ab inflammationibus meningum & ipsius cerebri, quo-
ad exteriorem partem, potius affectus soporosos, ob com-
pressionem cerebri, abortos notet, & in diaphragmate ab-
cessus ut & erosionem à pure pleuritico observet, para-
phrenitide tamen ægros non infestante. Ab omnibus i-
taque gravioribus febribus continuis & inflammationibus
viscerum, vel externarum etiam capitis partium, talia deli-
ria oriri posse, non est improbabile. Notavit enim *Excell.*
Dn. D. Prasfes, in milite à plagis in capite & brachiis, fortis-
simum delirium, in quo æger lectum & vestimenta, ma-
niacorum in morem, lacerabat, in quo externæ partes mul-

tæ erant inflammata, qui tamen evadebat, etiamsi adstantes, quorum curæ æger erat commissus, *Excell. Dn. D. Pras.* rogarent, ut ipsum prognostico relinqueret.

CAP. IV. *De Signis.*

Signa, imminentium horum mentis errorum, non quidem ambigua notæ sunt, attamen propter prognosin necessaria; ut horum quoque mentionem fecisse nos non pœniteat. Ut plurimum expeditius loquuntur, quam vel sanis, vel per morbi cursum, in more fuit positum, & subita oritur loqvacitas, eaque solito impudentior. Interdum tamen etiam quasi obmutescunt, & interrogati, vix verbum proferunt, balbutientesque lingua hæsitant. Notavit etiam *Excell. Dn. D. Pras.* quosdam perpetuò ejulantes, ne verbum respondentem, qui sæpe quarto, vel quinto, interdum sexto, vel septimo die, juxta *§. 6. aph. 54.* è vivis excessere. Interdum præcedunt, stridor dentium, corpore etiamnum existente firmo; & in moribus ac gestibus quoque sibi fiunt dissimiles, inquieti sunt, quandoque ad genua procidunt, & jectigationibus corpus denudant. Semel etiam *Excell. Dn. D. Pras.* honestam Matronam vidit, ore acuminato cantantem, daß *Sie gepfiffen*/ quæ post paucas horas delirio corripiebatur. Oculi sunt lubrici, interdum illacrymantes, interdum sicci, torvi, squalidi, cruenti, flammæ, non quidem à spiritibus inflammatis, vel lucidis, sed ab impetuosiore spirituum & humorum agitatione, sanguineque & vasis oculorum turgescuntibus. Sæpè præcedunt vigiliæ pertinaces, vel somnus turbulentus, & respiratio quoque non omnino est liberâ, sed sæpius citata, ut spiritum ex imis trahant cum anxietatibus. Urina interdum

dum tenuis & flammea, interdum pallida, quandoque in-
star jumentorum, interdum ex flammeâ in turbidam, & ex
crassâ ac turbidâ, in tenuem & aëvoſam, mutatur. Pulsus
est febrilis, modo magnus, modo parvus, interdum debilis,
& naturali ferè similis, quæ omnia alia symptomata con-
tinuarum comitantur.

Præſentium verò Deliriorum ſigna ſunt, quando ægri
abſurda loquuntur, & multa incongrua ſibi fingunt, verba
ſine ſenſu & ordine proferunt, interrogatiqve aliena re-
ſpondent, ſpectra & viros armatos, multaqve alia ſe videre
conſtanter affirmant. Floccos etiam legunt, feſtucas è
ſtragulis carpunt, pilos ex ore extrahere geſtiunt, & ſem-
per aliquid maſticant, licet cibos non aſſumpſerint. Ma-
niam quoque ſæpè æmulantur cum audaciâ, ferociâ, cla-
moribus, lædendiqve conatu. Interdum cum impetu è
cubili proſiliunt ac vociferantur, pluribus pares, cantant-
qve, rident, irascuntur, & adſtantibus violentas manus in-
jiciunt; aliis manus tremunt, toto corpore vacillante, &
valde debili. Vigiliæ ut plurimum ſunt pertinaces,
vel ſaltem ſomnus eſt interruptus, & inquietus; interdum
tamen ſopor adest continuus. Lingva eſt aſpera, ſicca, ni-
gra, muco & lentore obſita, & ſitis vel intenſa eſt, vel nulla.
De ciborum ſæpè putrido queruntur ſapore, eosqve ut plu-
rimum non appetunt, vel avidè & feſtinanter ingerunt, ut
aliqua pars per incuriam elabatur. De morbo conquerun-
tur nullo, quæ ſiti, ſanos ſe profitentur, dolorem capitis
non ſentiunt, & interdum matulam poſcunt, ejuſqve poſt-
ea non recordantur. vid. *Excell. Wedelii pathol. p. 593.*

Prognosis horum Deliriorum cum, juxta *Hipp. S. 2. apb. 19.* ſemper dubii ac ſuſpecti eventus ſit, cautè eſt institu-
enda, pro ratione Febris, tamè quam comitantur, modo ma-
gis, modo minus ſunt periculofa, illarumqve genium ex-
actè

actè sequuntur, pravitatemque imitantur. Inprimis si malignis & pestilentibus febribus, vel pesti superveniunt, exitus ut plurimum insequitur funestus, licet hic quoque quosdam videas evasisse. Si vero ægri per intervalla delirant, & non nimis fero cessant, symptomataque febrilia non sunt graviora, sine malignitate, & symptomatibus contrariis, melius est, quam si delirium cum aliis signis malis, sit continuum. Similiter quæ sunt cum risu, juxta §. 6. *apb.* 53. mitiora communiter esse creduntur, quia spirituum motum moderatiorem indicant, quatenus exactè sani & juvenes magis, lætantur, & spiritus per hunc affectum, quasi demulcentur. Contra, si cum ira sunt deliria, periculosiora sæpe notantur, quatenus majorem spirituum mobilitatem, & bilis abundantiam, denotant, & spiritus magis expandunt; & si cum studio eadem sunt combinata, melancholiam imitantur, & spirituum defectum indicant. Sæpius quoque evadunt foeminae, quam mares, ob majorem lymphæ abundantiam, item senes, quam juvenes, quia in illis spiritus non tam facile in nimios motus coguntur, vel dissipantur. Si vero deliria sunt mitiora, & signa febrilia non conveniunt, sic, ut calore non excedente, sitis sit intensa, & vires valde deficient, it. si cibos avidè ingerunt, si floccos legunt, & festucas carpunt, si vigiliæ sunt constantes, juxta §. 7. *apb.* 18. si externa frigent, & interna uruntur, juxta §. 7. *apb.* 72. si sanguinis supervenit stillicidium; si ab initio statim summus adest virium lapsus & corpus ad genua volvitur, ut plurimum res est desperata. Similiter, si interdum melius habent & citra causam malum inpejus ruit, vel si recidivam patiuntur; it. si post somnum furiosi evigilant, plus vice simplici, & somnus delirium non sedat; si urina est sanorum similis, & calor magnus, vel non conveniens, it. si urina ab initio statim est instar jumentorum, vel

vel ex crassa in pallidam, albam, crudamque mutatur, durante aliis signis febrilibus & malis; it. si est nigra, vel oppressa penitus, si singultus supervenit, vel convulsio, tunc mors ut plurimum fores pulsatur, quæ sæpe 4. 7. 11. 14. 19. die superingruit. Succedente vero somno, non nimis interrupto, & eo delirium sedante, cum blando madore & signis coctionis in urinâ, iisque constantibus, ac remittente febre, vel hæmoragia narium non parcâ accedente, cum bonis signis, omnia ad statum naturalem redeunt, ægerque cum sanitate, redit in gratiam.

CAP. V.

De Curatione.

IN Curatione in eam cogitationem unicè est incumbendum, ut spiritus animales mulceantur, & ad statum naturalem, blandamque agitationem redeant; quod faciunt omnia, quæ febrim; continuam compescunt, circulumque sanguinis turbatum, à quo spirituum iste motus irregularis pendet, restitunt. Faciunt hoc non tantum operationes *Chirurgica*, cum *Diatâ* conveniente, sed & potissimum ex *Pharmacîâ* petita selecta remedia, quæ si ullibi, sane in hoc affectu peracuto, cito in subsidium vocanda, & sæpius de die, imo ferè singulis horis sunt repetenda.

Ex *Chirurgiâ* præ omnibus commendamus *Væ. Sem.* modò vires & ætas consentiant, pulsusque magnus & vasorum plenitudo, deliria graviora cum furore, vigiliis atque aliis signis febrilibus copiosis urgeant; ut & si ab errore in diatâ præcedente, vel obstructis evacuationibus consvetis, malum oriatur. Detractâ enim aliqua parte peccante, reliqua promptius subigitur, & non tam facile moras necit, nec cum tanto impetu ad cerebrum appellit, spiritusque
exagi-

exagitat. In mitioribus verò Deliriis, quæ cum summo virium lapsu sunt conjuncta, calore ad naturalem accedente propius, cum pulsu debili, ac soporibus, Væ Sio non facile locum habet, potissimum si ætas & alia non consentiunt. Verbo, ubi malignitatis signa adsunt graviora, febrilia verò pauca, Væ Sio ordinariè non est concedenda, æque ac in peste, teste *Diemerbroeckio*, non facile est celebranda. Respi-ciunt tamen interdum ad malignitatis, forsan mitioris, genium, & quomodo alii eam sustinuerint inquirunt, cum, ex iuvantium & nocentium collatione, Medicus quoque suæ famæ, & ægrorum salutis, possit consulere.

Arteriotomia vero & *Hæmorrhoidum* tumentium apertio, in nostris regionibus, minus sunt usitata; & *Hirudinum* ac *Cucurbitularum* applicatio nobis non arridet. Inprimis *Arteriotomia*, ob consolidationem difficiliorem, in ægro in obsequente rectius omittitur, cum in gravioribus quoque affectibus operatio hæc hodie ferè sit exauctorata.

Omnium maximè vero conveniunt & vix satis laudari possunt, *Vesicatoria*, quæ vix ulli, ex chirurgiâ petito, cedunt remedio, optimeque faciunt officium. Seri enim stagnantis motum restituunt, & lympham cruori jungunt, circulumque sanguinis promovent, & per accidens quoque recrementa alia & materiam morbificam unâ eliminant. In tempore itaque applicata, deliriis in malignis anteverunt, & in ipsis petechialibus conveniunt, & morbo quasi manus injiciunt. Excitatae verò vesicæ, prius non sunt consolidandæ, quam post febrim superatam, alias facile malum recrudescit, quod *Excell. Dn. D. Pras.* contigit, ubi æger post vesicas consolidatas, elapso jam 18. morbi die, adhuc semel in delirium incidit. Applicato verò statim novo vesicatorio, eo ferè momento, quo vesicæ aquam plorabant, delirium, ut antea, in prioris vesicatorii usu, remittebat. Idem quidem obser-

observat *Willisus pharm. rat. p. 2. p. 229.* sed ibi æger cedebat fati. Quomodo verò apertæ servandæ sint vesicæ, de eo vid. *Ettmüllerus inst. p. 521.* & de applicandi modo ac operatione *Nukius in experimentis chirurg. p. 13.*

Reliquas operationes Chirurgicas, cum parum nobis promittant auxilii, vel minus usitatæ sint, studiosè premimus silentio.

Maximum vero præsidium ponimus in selectis remediis, ex *Pharmacîâ* pedentis, & inter ea potissimum commendamus, quæ poros aperiendo blandam excitare diaphoresin, circulationem sanguinis restaurare, eamque ad naturalem statum possunt redigere. Ex hoc itaque foro eliminamus *Purgantia*, tum fortia & magis generosa, quæ ne quidem præservandi fine admittimus; tum lenia sibi relicta, adeo ut raro quoque *Clysterum* usum, & fere saltim coacti concedamus. Videmus enim illos evasisse sæpius, qui alvo laborarunt adstrictâ, etiam ad plurium dierum spatium; cum contra qui eâ magis lubricâ gaudent in his deliriis, ut plurimum pereant, & diaphoresis quoque, in quâ curationis vertitur cardo, in iis non tam promptè succedat. Accedit, quod in his affectibus, ob humorum mobilitatem, à clysterum usu, sæpè diarrhoæ orientur lethales, nullis postea remediis sistendæ. Hinc non semper moveatur Medicus, licet clamitent vetulæ: *Dn. Doct.* alvus est adstricta, vapores ascendunt ad caput, calor inde incrementa sumit, præscribe clysterem præscribe!

Emetica tamen correctâ interdum præservandi fine concedimus, si statim in accessione febris exhibeantur, sicut ut grassante febre ex hoc symptomate famosâ, primo, vel ad summum altero invasionis die, ægro adhuc quasi in statu neutro existente propinentur, inprimis si malum ab errore in diætâ oriatur, ætas & vires consentiant, & æger de an-

D

xietate

xietate circa præcordia conqveratur. Nihilominus, si febris sit maligna, plures simul corripuens, correptosque perimens, & Medico non innotuerit, an in aliis ægris talia cum fructu fuerint exhibita, licet in hoc vel illo ægro nondum aliqua malignitatis appareat nota, rectius ab emetico abstinendum esse censemus. Interdum enim optima cum ratione exhibita, male cedunt, ut usque adeo omnia, quæ humores exagitant, cane pejus & angve fugienda sint, & hic quoque motos fluctus præstet componere.

Tutiora itaque sunt, & reliquis præferenda *Bezoardica* communiter ita dicta, quæ sanguinis & spirituum impetum temperant, atque refrenant; vel crassiorem dissolvunt cruorem, spirituumque defectum restaurant. Talia verò sunt partim quæ sale volatili, fixo & medio pollent, pauco interdum sulphure maritata, partim terrea fixa, & aqvosa ipsa; ex quibus laudasse sufficiat: *Spiritum sanguinis humani. C. C. eboris & eborum salia volatilia; in primis viperarum & spinas viperarum præp. it. C. C. pb. & ust. ebur sine Δe, unicornu animal. & fosile, lap. bez. Or. & Occid. perlas præp. mat. perlar. lap. 69. percar. corallia: mandibul. lucii pisc. cinn. nativ. & ꝑii: ꝑum diaph. Dum ꝑiat, bez. minerale arcan. duplic. rad. contrayerva, terram Lemn. sigill. bot. Armen. Spiritum ꝑri, Oli simpl. & philosoph. ꝑis, & ex his composita, Tinct. bez. simplices & campb. Misturam simpl. spiritum Theriacalem campborat. bez. Buff. Tincturam coralliorum papav. errat. violar. bellid. 4 flor. cordial. it. pulv. bez. Sennert. Epil. March. Pannon. rubr. specif. cephal. Mich. Species de byacintb. Vas destillat. fl. sambuc. scord. galega, cerasor nigr. acetos. boragin. bugloss. Cordial. H. S. fr. scorzoner. seabios. fl. rosar. decoct. bordii c. scorzoner & C. C. gelatin. C. C. ebor. succ. citri & c. ex quibus tamen composita secundum regulas artis sunt corrigenda.*

His

His commode quandoque admiscuntur *Opiata* rite parata, quæ tamen, si valde debilibus exhibeantur, pulsu existente parvo, & inæquali, facile somnum accersunt perpetuum; & si non cæute procedas in reliquis, deliria exacerbant; unde cum omnia, quæ circa hujus generosi remedii exhibitionem monenda sunt, paginæ angustia non capiat, prudentiæ Medici eandem tantisper relinquimus. Idem sit judicium de reliquorum bezoardicorum exhibendi modo, ubi selectus probè est instituendus, cum volatilia magis mitioribus deliriis, quæ cum virium lapsu, calore parvo, cute aridâ, soporibus & similibus sunt combinata; fixa fortioribus, ubi virium robur excedit; acida, media & aqvosa utrisque videantur competere.

Ex his itaque variæ confici possunt *Formula*, quas inter si nostros res stat judicio, *Potiones* omnibus ferè præferendas esse censemus; unde *Emulsiones ex semin. 4. frigid. major. aquileg. papaver. alb. citr. nap. cum aqvis jam laudatis & pulveribus bezoardicis albis* paratas, saltem delicatis, quasi coacti exhibemus, quia hæ quandoque alvum laxant & diarrhoeas excitant.

An vero Chinâ Chinæ hic quoque optatum edat effectum, & tuto exhiberi possit, cum *Morton* in continuis, seu remittentibus, uti loquitur, eam cum fructu propinet, & *Helvetius* solis Clysteribus ex ea paratis, continuas æque ac intermittentes extirpare gestiât, nobis nondum experiri licuit.

Externè communiter plurima commendant *Epithemata*, quæ tamen velut minus efficacia, & non per omnia semper tuta, stent post principia. Concedi nihilominus possunt quandoque tepida capiti applicanda, ex *fl. sambuc. sedo majori, lactucâ, fl. papav. errat. beton. fol. rut. capit. papaver. nucleis persicor. camphorâ, aceto: &c.* quo & pertinet

net Emulsio ex nucleis persicorum, sem papaver. alb. lactuc. 4.
frigid. major. cum aqua nymphae, fol. persicor. rosar. verben.
lactuc. endiv. solan. fl. til. beton. &c. cui essentiae camphor. ʒj.
vel ʒij. admiscenda. Sennertus quoque semen hyosciami
addit, cui tamen nimium non aequè tribuendum; non se-
cus, ac theriaca in formam emplastri, placenta rosacea & oleum
N. M. expr. propter minorem efficaciam, sensim exo-
lescunt.

Silentio quoque non premissa sunt Animalia viva,
dissecta, in primis columba & pulli gallinarum ac gallinae
per medium dissectae, it. pulmones animalium recens ma-
ctatorum, potissimum agni & vervecis calentia capiti impo-
sita, quae spiritus demulcent feroces, languidosque exusci-
tant. Reliqua vero Epithemata, pedibus, testibus, & cor-
di applicanda, ut & capitis ac pedum lotiones, tanquam
minus tuta, rejicimus. Pulsibus solis acetum rutaceum,
vel solum, vel cum aqua carbunculi, aut alia apoplectica ap-
plicari potest, ut omni ex parte agris & adstantibus satis fiat.

Musica denique ipsa in subsidium vocari potest, quate-
nus artificiosa haec sonorum modificatio in ipsos spiritus no-
stros animales non exiguam vim ac potentiam sibi vendi-
cat. Sint verò in nostris agris moduli molles ac Jonii, qui
intempestivos spirituum motus, balsami instar deliniunt
eorumque ferociam compescunt, & dissipatos colligunt;
cum Dorici impetuosiores spiritus potius in motum redi-
gant inordinatum.

In Diæta aer eligatur temperatus, ad calidum incli-
nans, aegerque à frigido sibi caveat, continuoque in lecto,
in madore perpetuo detineatur. Victus verò sit tenuis;
sufficiunt cerasa acida siccata & poma siccata, ova tremula,
brodium carnis, juscula avenacea & hordeacea, succo citri
foliis acetos. vel acetosellæ medicata.

Potus

Potus concedatur paulò largior, sed tenuis & non actu frigidus; qui vero non sitiunt, de eodem commonefiant. Potest is ipse quoque corrigi pomo citrio, acidulis, nitrosis, & gelatinæ etiam eidem commodè induntur. In debilioribus quandoque haustus *Vini* vel purus, vel cum succo citri concedendus, & *Zulapia* acidula ex aquis destillatis supra laudatis, non nimis dulcia, ut & decocta hordei, hic quoque locum habent, quæ una cum reliquis, iuvante Deo, efficient, ut tandem malè tutæ mentis homines cum sanitate redeant in gratiam.

Omnipotenti DEO sit Gloria!

Fertilis assiduo si non renovatur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager:
Arvus sic Animi, qui non componitur arte,
Nil nisi segnitix fert lolium tetricæ.
At benè culta Seges dat triticum & horrea plena,
Dum cadit in curvâ falce resecta Ceres.
Terra ferax mentis sic magno exculta labore,
Messe in Musarum munera larga refert.
WALZI, grande Decus Phœbi Magnique Parentis!
Exemplo Hoc stabilis: *Nomen & Omen habes.*
Triticeam frugem Tua fert optabilis Messis,
Verbaque quot Chartæ tot quoque grana Tuæ:
Nam Lyra dum Tua docta canit *Deliria Februm;*
Ex merito Laurus Te quoque summa manet.
Gratulor his factis, Patriæ, Patrique, Tibique,
Fata adsint votis optima porro Tuis.

CHRISTIANUS VATER, D.
ACADEM. RECTOR.

Ipsè Deus Medicus, Medicinam condidit Almam,
Naturæ in Regnò quòlibet arma locans.
Dum tua mens illi totam se tradidit arti,
Naturæque studes, & simul inde Deo.
Ille tuis ceptis longè benedicat ab alto,
Omnis ut ægrotus surgat ab arte tuâ.

fac.

Caspar Lösscher / D.

Sic abeas, sponsamque domum post proelia ducas,
Victori thalamus præmia casta dabit.
Arte viam invenies, quam munit ad æthera fama,
Hæc Tibi dat nomen, conciliatque decus.


Io. Gothofredus Berger, D.

Gemma minus splendet, quam si circumdatur
aurò:

Doctrinæ pariter crescit honore nitor.
Quàm tibi sit, VVEITZI, præclara scientia morbos
Pellendi, nos hæc pagina docta docet.
Nunc ea majores radios diffundere cœpit,
Dum summus meritò te decorabit honos.

Paul. Gottfredus Sperling, D.

Præses.



X 2588898

Retro

VD 17





B. C. D. 9.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
De

DELIRIIS

FEBRIUM CONTINUARUM,

*Auctoritate Gratosiss. Ordinis Asclepiadei,
In Electorali Academia Vitembergensi*

PRÆSIDE

VIRO Excellentissimo atque Experientissimo

DN. PAULO GOTTFREDO
SPERLINGIO,

Medicinæ Doctore & Prof. Publ.

Dn. Patrono, ac Promotore suo maximè colendo,

PRO LICENTIA

Assumendi DOCTORIS Gradum
publico examini exposita

D. XVI, Januarii, An. M DCXCVI.

a

HENRICO SIGISM. WEITZIO,

Goth. Thur.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typ.

